



V

10th

alte Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

1d

DEO TRIUNO BENEDICENTE

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO
COENAE,

DECADIS SECUNDÆ:
Problemata. I. II. III. IV.

*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,*

ANTORE AC PRÆSIDE

JOHANNЕ FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario,

RESPONDENTE


DANIELE SPALCHHAVERO
Rostochienfi.

Ad diem 14. Decemb. horis locog. consuetis

VVITTEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni. Anno 1611.







PROBLEMA I.

*An promiscuè quivis ad Cœnam admittendi,
absq; ulla prævia institutione, & exploratio-
ne, qualis in nostris Ecclesijs præmitti so-
let in Confessione privata.*

Themation I.



N prima hætenus Decade proposita & expo-
sita sunt partim *Generalia*: partim *Specialia*, de *μετὰ τὴν*
Cœna DOMINI Problemata.

II.

Generalibus iterum partim *σὺν τῷ* Eucharisticæ sublimitas: partim *τῶν* verborum Cœnæ perspicuitas: & essentialis Corporis ac Sanguinis CHRISTI, in ulu ejusdem, præsentia realis veritas, fidei studio vindicata fuit.

III.

Specialia spectârunt *Causam* Cœnæ *materialem*, quæ duplex: *Ex qua*, & *Circa quam*, vel *Objectum* potius aut *Subjectum* cui.

IV.

Materia ex qua partim *cœlestis* est partim *terrestris*. De utraque in proxima velitatione, *quatuor* Problematis.

V.

Succedit *materia circa quam*, vel *Objectum* aut *Subjectum* cui, de quo itidem, hac vice, *quatuor* ventilanda nobis *Problemata*.

¶ ¶

VI. Inter

ἑὐταξία
Lutherana.

VI.
Inter hæc, generalitatis nomine, primum meretur locum istud, de prævia institutione & exploratione, qualis in nostris Ecclesijs præmitti solet, in Confessione privata.

VII.

Accessuri enim ad sacram Synaxin suam edunt Confessionem coram Ordinario Ecclesiæ Ministro, petentes absolutionem specialem; atque hac sanè occasione, examinantur de ijs, quæ fidem & partim etiam vitam eorum spectant; quæ res nihil aliud, quàm utilis *προπαρρητικὴ δακρυμαστικὴ*, ad dignam Cœnæ Domini- nicæ perceptionem.

IX.

ἀταξία
Zvvinglio-
Calviniana.

Utile hoc piùmque institutum, Zvvinglius Tiguri, unâ cum privata confessione & absolutionis ritu, ex Ecclesia omninò eliminare & proscribere non erubuit. A. C. 1523.

X.

De qua mutatione Ludovicus Lavaterus Theologus & Historicus Helvetius:

fol. 14. p. 2. c. 14. de ritibus Eccl. Tigurinae:

Privatam Confessionem & absolutionem Tigurina Ecclesia non retinuit: quia caret præcepto & exemplo Scripturæ. Contenta est publica illa Confessione, quæ ab omnibus, ministro præeunte, solè Deo fit.

XI.

Eandem ἀταξίαν Zvvinglinam Lutheranae ἑὐταξία surrogare conati sunt Quidam Ecclesiæ *Francofurtensis* ad Menum *Ministri*, Magistri illius sui atro Spiritu incitati.

XII.

Quibus inauspicatis conatibus Theander Lutherus Scrip- tum opposuit acre & nervosum, quod habetur *Tom. VI. Jen. fol. 105.*

XIII.

Quid Calvinus alter ille Gentis Sacramentariæ Patriarcha, de isto salutari nostrarum Ecclesiarum instituto judicaverit: haud obscurè ipsemet innuit, *indiscriminatim* affirmans: *Confessionem & absolutionem privatam è fatidis Antichristi Romani latunis originem suam habere, & ab ipso Diabolo inventam esse in Ecclesiam.*

Defens. II. contra V Vestph.

13. Sed

XIII.

Sed tempus est, ut expediamus rationes, quibus institutum istud pium nititur, ut & amici & inimici intelligant, nihil hac etiam in parte ἀναπιστολογήτως fieri.

Rationes quæ

tuor.

XIV.

Prima ratio est, quia illud facit ad δοκιμασίαν illam, usus Cœnæ necessariò præmittendam, tum Accipientis: tum Dantis respectu.

XV.

Et Accipientis quidem ex præcepto Apostoli I. Cor. II. 28.

XVI.

Dantis verò, ex præcepto CHRISTI, ne dent sanctum san-
ctis &c. Matt. 7. 6.

XVII.

Cui respondet hæc Orthodoxæ Antiquitatis:

Cypr. lib. 2. de doct. Christian. c. 40.

Non tantum is reus est corporis & sanguinis CHRISTI, qui indigne sumit: sed etiam is, qui sciens volensq; indignis porrigit.

Chrysof. Hom. 83. in 26. c. Matthæi:

Occidi me potius patiar, quam hæc manus Dei contemtoribus iudicatis, sancta DOMINI porrigat

XVIII.

Secundò quia illud non exigua est pars illius εὐταξία: & εὐ-
χημοσύνης tantopere nobis commendatæ ab eodem Apostolo I.
Cor. 14. vers. ult.

XIX.

Tertiò accedit autoritas Augustanæ Confessionis, cuius Calviniani hodie se socios esse magna verborum pompa, sed falsissimè, gloriantur.

XX.

Ibi enim Protestantès non in genere duntaxat profitentur, quòd ritus illi servandi sint, qui sine peccato servari possint, & prosint ad tranquillitatem & BONUM ORDINEM in Ecclesia: Sed in specie etiam confirmant isthunc παιδαγωγίας vel γυμνασίας κατὰ χητι-
κῆς, ritum.

Antic. XI. XV. XXV.

A 3,

21. Quarto

XXI.

Quarto: Quia abrogatio & intermissio istius *επιτροπικου* *ως*, apud Zvvinglianos ex falso & impio dependet principio, e doctrina nimirum abominabili, de *απγοια* corporis & sanguinis CHRISTI in Cœna, & insuper horrendam pestilentis simamque parit in Ecclesia *αλαξια*.

XXII.

Unde graviter & non absque Zelo planè Heroico Lutherus, in scripto paulo antè nominato

Tom. VI. Jen. Germ. f. 109.

Wol ist das wahr/wo die Prediger eitel Brot vnnnd Wein reichen für das Sacrament/ da liegt nicht viel an/ wem sie es reichen/ oder was die können/ vnd gleuben/ die es empfangen. Da frist eine Saw mit der andern/vnd sind solcher Mühe billich vberhaben/denn sie wollen Wüste Zolle Heiligen haben/dencken auch keine Christen zuerziehen/sondern wollens also machen / daß vber drey Jahr alles verstorret sey/ weder Gott noch Christus / noch Sacrament/ noch Christen mehr bleiben. Aber weil wir gedennen Christen zuerziehen/vnd hinder vns zu lassen / vnnnd im Sacrament Christus Leib vnd Blut zureichen/ wollen vnd können wir solch Sacrament niemand nicht geben/er were denn zuvor verhoret/was er vom Catechismo gelernt/vnd ob er wolle von Sünden lassen/die er darwieder gethan hat. Denn wir wollen auß Christus Kirche nicht ein Sewstall machen/vnd einen jedern vnderhört zum Sacrament/wie die Sew zum Troge lauffen lassen / solche Kirchen lassen wir den Schwermern.

XXIII

Quinto, quia Zvvingliani non omnes hac in re suo Præcepto-ri Zvvinglio sunt *ὁμόψυχοι*: sed aliqui evidentia veritatis ad-acti & adducti diversum sentiunt.

XXIV.

Si stimus, qui plurium instar esse potest, Theodorum *Bezam*, qui apud omnes hodie Calvinianos in summa autoritate,

25. Ita

XXV.

Ita verò iste non minus piè, quàm verè
In III. Vol. Oper. fol. 228.
Epist. 20.

Deinde, etsi fides, cuius domicilium, & sedes est in animo nunquam
possit signis externis penitus certis cognosci propter hominum hy-
pocrisin, tamen non frustra commendata est, & semper in Ecclesiis
benè constitutis observata oris confessio, idq; tum ipsius Pastoris
Sacramentum administrantis, tum oris illud recipientis causa.

Nam quod ad Pastorem attinet, danda est illi etiam atq; etiam ope-
ra, tum ut canes & porcos, id est, manifestos pietatis hostes, tum
ut horum mysteriorum ignaros, ac proinde fide destitutos à veris
Dei filiis sive credentibus, quantum quidem in se est, distinguat.
Nullum autem est certius hujus rei examen, quàm si singuli inter-
rogati de ijs sine quibus fides esse nulla potest, sic Pastori satisfaci-
ant, ut illos bona conscientia judicare possit satis aptos & idoneos
esse ad sui ipsorum probationem, sicut inquit Apostolus. Probet au-
tem unusquisq; seipsum. Quid si verò, dicet aliquis, hypocritica &
simulata sit responsio! Nempe nihilominus functus erit suo munere
Pastor, Dei enim unius est arcana illa cordis scrutari & judicare.

XXVI.

Ceterum, quòd ritum hunc utilissimum fermenti Papistici *Responsio ad*
in nomine suspectum & despectum reddere student: ad id jam olim *criminatione*
respondit Mylta *Ἰεογλωσσου προόσευρες* Lutherus, distribuens *Zwvinglio-*
Confessionem privatam in duas partes *συταλικας*, quarum una spe. *Calvinianam*
Etet Legem altera Evangelium. Tom. VI. 167. f. 108.

XXVII.

Ad Legem spectare dicit peccatorum Enumerationem vel
Confessionem specialiter sic dictam, quæ vel *coacta* vel *libera* à co-
actione

XXVIII.

Coacta est psychotyrannis illa Pontificia, qua coguntur ad
unum omnes ad Sacram Synaxin accessuri post accuratam exami-
nationem singula & universa peccata secundum omnes cujusque
circumstantias præcisè enumerare, idque sub discrimine veniæ ac
salutis.

Vide Catech. Rom. f. 319, 320, 321.

29. Ab

XXIX.

Ab hac Psychotyrannide & carnificina conscientiarum in-
libertatem nostras asseruit Ecclesias, Dei beneficio, Lutherus; in
qua etiam adhuc fixo pede stamus, certi & gnari, quod ejusmodi
peccatorum ἐξακρίβωσις non tantum in censu τῶν ἀδυνατῶν: sed
etiam in classe τῶν ἀγράφων, imò ἀντιγράφων. ψ. 19, 15. *Matt.* 9.
2, *Luc.* 7. 48.

XXX.

Quæ enim (a) Bellarminus, è Scriptura affert, planè sunt ἑτε-
ρογενῆ & ἀλλότρια. Non enim de *Sacramentali* confessione, ut ipse
loquitur, agunt: sed (præterquam quòd, ipso Jesuita fatente, ple-
raque omnia figuris saltem constant, & propterea ad probandum
invalida) *partim* de confessione, quæ ipsi Deo fit *immediatè* sive pu-
blicè & ἔξωθεν coram cœtu Ecclesiæ, sive *privatim* & ἑσωθεν: *partim*
de ea quæ fit *Ministro Dei*, sed absque coactione & duntaxat *in ge-
nere*

(a) *lib.* III. *de Pœnit.* c. 3. & 4.

XXXI.

Eadem ἑτερογενείας & ἀγνοίας ἐλέγχῃ Sophisticatione ve-
ritatis lucem obscurare sudat, in sequentibus Disputationis suæ
capitibus, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. ubi *partim* è conciliorum decretis: *partim*
ex Patrum testimonijs θεσιν φυλάττειν singulari studio laborat.

XXXII.

Ibi enim easdem confessionis species, sicut & (b) ἐξομολό-
γησιν fraternam, itemque ἐξομολόγησιν Ecclesiasticam vel ordinariè
vel *extraordinariè* fieri solitam, aliasque species, de quibus eruditè
ac scitè (c) Chemnitius, temere confundit, cum illa, quam Pon-
tificij *Sacramentalem* sive *auricularem* vocare consueverunt.

(b) *Iacob* c. 16, c. *Ex. Conc. Trid. in Disp.*
de Conf.

XXXIII.

De hac & non de illis inter nos & Romanenses disceptatur.
Hic Rhodus est, in qua saltandum Jesuitæ; Si Romanæ Thaidi
placere voluerit.

XXXIV.

Quæ *cap. 3. lib. 3. de Pœnit.* declamatoriè disputat, de officio præconum Verbi *judiciali*: ea planè ruinosà sunt, & malè materiata.

XXXV.

Quòd enim Ministri Ecclesiæ à DEO constituti sint Judices, quibus in Conscientias suorum Auditorum inquirendum, quo demum Scripturæ apice probaverit?

XXXVI.

Soli DEO τὸ καρδιογνώστη jus istud (d) competit, sicut (e) & jus condonandi peccata. Contra hunc (f) enim solum illa propriè designantur.

(d) 1. Reg. 6. 8, 39. 1er. 6. 17. 10. Job. 6. 2, 25. 1. Cor. 2, 11.

(e) Exod. 6. 34. 7. Mich. 7. 18.

(f) Psal. 51. 6.

XXXVII.

Ministri autem Ecclesiæ sunt tantùm DEI *Dispensatores* & *Præcones* judicia ipsius annunciantes.

2. Cor. 6. 4, 2. 2. Cor. 5. 19, 20.

XXXIIX.

Et huc sanè spectant CHRISTI axiomata, à Jesuita allegata.

Matt. 16, 19. 6. 18. 18. Job. 20, 23.

XXXIX.

Et hætenus de *coacta* Romanensium Confessione, quæ, auspicijs B. Lutheri in nostris Ecclesijs meritò abrogata: eique surrogata *Confessio libera*, (à coactione) qua accessuri ad Cœnam DOMINI sua confitentur peccata Ministro Ecclesiæ in genere, & si ita visum, in specie etiam ea, quæ maximè gravant conscientiam, eorumq; si ita necessum, in studio pietatis profectus explorantur.

XL.

Quæ res usque ad eò Sacris non repugnat literis, ut exemplis illarum planè sit analoga.

2. Sam. 12. 13. Psal. 51. 2, 7. Matth. 3, 6.

XLI.

B

Neque

Neque demum sub Papatu ab Antichristo Occidentali Ec-
clesiæ demãdata: sed jam olim autoritate orthodoxorum Patrum
nobis commendata.

Cypr. lib. 5. Epist. 14. & 16. & c. Basl. quest. 188. Hieron. in
Matth. c. 16, & Eccl. c. 10. Ambros. Trip. lib. 9. c. 30. Chrysof.
lib. 2. de Sacerdotio. Augustinus lib. de Visit: infirmorum lib. 2.
Epist. 188.

XLII.

Et tantum de Enumeratione peccatorum vel Confessione *specia-*
liter sic dicta, quam ad Legem refert Lutherus.

XLIII.

Ad *Evangelium* verò idem refert posteriorem Confessionis
generatim sic dictæ partem, Absolutionem puta privatam, quæ & ipsa
(g)Scripturæ exemplis analogæ, suasq; habet utilitates maximas,
de quibus egregiè Lutherus, in Sermone de Confessione, in Po-
stilla Ecclesiastica: Nos inde huc saltem hunc paragraphum an-
notamus:

In der Predigt fleugt es in gemein dahin/ vnd wiewol es
dich auch trifft / so bistu doch sein nicht so gewiß. Aber
hie (im Beichtstuel) kan es niemand treffen / denn dich al-
lein. Soltestu aber nicht hertzlich fro werden / wenu du
einem ort wilst / da Gott mit dir selbs reden wolte? Ja
wenn wir einen Engel möchten hören / so würden wir wol
bis an der Welt ende lauffen. Seind wir aber nicht tolle/e-
lende vnd vndanckbare Leute / die wir nicht hören / was
man vns saget? Da stehet die Schrift vnd bezeuget / das
Gott durch vns redet / vnd das es ja so viel gilt / als wenn er
es mit seinem Munde redet.

(g)Matth. 9, 2. Luc. c. 7. 48.

XLV.

Legendo percurratur integer Sermo, itemque alia Lutheri
Scripta de eodem argumento evulgata.

Tem. 1. ten. Germ: Unterricht der Beichtfinder.
fol. 397-

Eod.

Eod. Tom. f. 435. Sermō. Von würdiger empfangung des H.
wahren Leichnam Christi.

Tom. IV. Ien. Ger. Unterricht der Visitatorn // sub tit.
Von der rechten Christlichen Beicht f. 342.

Tom. VI. Ien. f. 105. in Epist. ad Senatum Francofurtensens
superius allegata.

PROBLEMA II.

*Num illi de quorum dissensu in doctrina pu-
blicè constat, vel de consensu dubitatur,
admittendi sint ad usum Sacrae
Synaxeos.*

XLV.

Duo in hoc Problemate continentur; Vnum respicit eos, de
quorum dissensu in doctrina constat; Alterum verò eos, de quorum
consensu dubitatur. De utrisque succinctè & distinctè differen-
dum.

XLVI.

De quorum dissensu publicè constat: ij in duplici sunt diffe-
rentia: Vel enim *Dociles* sunt & *Seducti*: vel *Indociles* ac *pre-* 1. De priori
classe.
fracti.

XLVII.

Dociles & *Seducti* leniùs tractandi sunt, & cum Spiritu
mansuetudinis rectiùs informandi, & ad agnitionem Veritatis
diligenter exhortandi, secundum institutionem Apo-
licam.

Rom. 6. 14, 1. 6. 15, 1.

Galat. 6, 1.

B 2

48. Quod

XLIIIX.

Quòd si, post præviam institutionem, promiserint studium veritatis, à Mensa DOMINI arcendi non sunt, exemplo Apostoli, in casibus aliquàm-similibus.

1. Cor. 6. 9. & 6. 10.

XLIX.

Et nota optimæ notæ ejusdem sententiæ, quâ testatur sibi alijsq; Θεοδύλοις à DOMINO datam ἐξουσίαν, εἰς οἰκοδομὴν καὶ εἰς καθαίρεσιν Auditorum.

2. Cor. 10. 8.

L.

Indociles verò & praefracti, duriùs tractandi sunt, observatis tamen gradibus Admonitionum, de quibus Matth. cap. 18, 16, 17.

LI.

Primus cujusque loci pastori; secundus toti illius loci Ministerio, vel Superintendenti; tertius Synedtio Ecclesiastico, competit.

LII.

Quòd si tales, neglectis omnibus ac singulis admonitionum gradibus, nihilominùs in errore suo obstinati perstiterint: non modò ad Sacram Synaxin admittendi non sunt: sed, si insuper vel alios seducere; vel certè errorem suum cum offendiculo Ecclesiæ defendere, vel sinceros Ecclesiæ Doctores convicijs proscindere ausi fuerint; excommunicationis pæna afficiendi sunt, de cujus processu, in Constitut. Eccel. Elect. Saxon: in Art: Gen.

tit. XI. m. f. 324.

LIII.

Rationes VI.

Rationes robore validissimæ, pondere gravissimæ in promptu sunt. Assignamus saltem, ὡς ἐν τῷ αὐτῷ, præcipuas.

I.

LIV.

I. Severum CHRISTI interdictum (g), ne sanctum detur Canibus, neve margarita projiciantur porcis; quales impuri non solùm quâ vitam: sed etiam quâ fidem; siquidem & (h) hæresis in Catalogo operum Carnis continetur.

(g) Matth. 7, 6.

(h) Gal. 6, 20.

LV. 2. De

LV.

2. Dehortationes Scripturæ passim obviæ, ab ἐτεροζυγία, & κοινωγία cum ijs, qui à nostra religione & fide alieni

2. Cor. 6. 14. 15. 1. Thess. 5. 21. 22. Tit. 3. 10. 2. Ioh.

vers. 11. &c.

LVI.

3. Periculum offendiculi summopere declinandum

Matt. 18. 6. 7. Rom. 14. 13. 1. Cor. 9. 13.

LVII.

4. Sacramentorum finis, qui inter alios & hic, ut videlicet sint Symbola fidei & confessionis Ecclesiæ, à qua, cum Ετεροδοξοι abhorreant; quâ conscientia vel ab ipsis peti: vel à ministris orthodoxis illis dispensari potest Sacramentum Cœnæ?

LVIII.

5. Lex de non admittendis, ad esum Agni Paschalis, Gentilibus, nisi facti Profelyti, adeoque Sacramento Circumcisionis suscepto testificati de consensu in doctrina ac religione Hebræorum, Exod. 6. 12. 48.

LIX.

In locum autem Agni Paschalis, Sacramenti Vereris Testamenti, successit in N. T. Sacramentum ἀντιστοιχον, Cœna DOMINI, sicut Circumcisioni Baptismus Col. 2. 11.

LX.

6. Exemplum Orthodoxorum circa Arianos, allegatum in Præfatione Colloq. Mompelgartensis hisce verbis:

Et quidem ea in re Christianos Imperatores imitati sumus, qui Arianis, petentibus in communionem Orthodoxorum recipi, non prius postulatum suum concesserunt, quàm illi Orthodoxorum doctrinam approbarent: tamen si ne ista quidem piâ vigilantia cavere potuerint, quin multi ore, & calamo aliud profiterentur, quàm corde premebant.

LXI.

Et tantùm ex priori Problematis membro, de ijs, de quorum II. De posteriori dissensu publice constat. Sequitur in posteriori membro, de ijs, de ori classe quorum consensu dubitatur.

B 3

62. Hii

LXII.

Hi verò antequam admittantur, amice examinandì
sunt.

LXIII.

Jam si de suo consensu ingenuè restificati fuerint : res plana
est.

LXIV.

Sin minùs : tractandi sunt, vel ut dociles, si tales; vel, ut in-
dociles, si itidem tales extiterint.

LXV.

Consulatur de hac quæstione *Constitutio Ecclesiastica Elector,
Saxon. Articul. gen. VIII, X, XI. itemque Præfatio in Colloq. Mompelg.
paulò ante citata.*

PROBLEMA III.

*An sacra Cœna etiam exhibenda in-
fantibus ac pueris, antequam ad
discretionis annos pervene-
rint.*

LXVI.

*Сausa древна
востанула;*

Hoc ut discutiendum proponamus *ζήτημα*, fit propter
Ετεροδόξος tum *Veteres* tum *Recentiores* : partim propter *Ratio-*
nem, quæ affirmativæ patrocinari videtur.

LXVII.

Ετεροδοξοι veteres fuerunt illi, qui (i) referente *Cypriano*, in-
fantes etiam ad societatem Cœnæ admiserunt.

(i) in *Sermone de lapsis.*

LXVIII.

Augustinus quoque non rarò dicit, *infantes* debere edere cor-
pus *DOMINI*, si salvi futuri sint.

68. Quod

LXIX.

Quod *παράδοξον* conatur efficere *ἔνδοξον* Bellarminus in hæc
verba scribens:

Lib. I. de Sacram. Euch. c. 7.

*Cæterum non intelligit id fieri debere necessario reipsa. Nam
idem Augustinus ibidem, & lib. 3. de peccat. meritis, & remis.
cap. 4. Et in serm. ad infantes, quem citat Beda in comment. 1.
Corinth 12. scribit: infantes in ipso Baptismo communicare cor-
pori Christi, & per susceptionem Baptismi implere etiam præce-
ptum de sumptione Eucharistiæ.*

LXX.

Forsan commodius diceretur: locutum esse Augustinum,
non de Sacramentali: sed *Spirituali* corporis DOMINICI man-
dicatione, nisi constaret, non omnia Patrum apophthegmata esse
SPIRITUS SANCTI Oracula, qualia in sola Scriptura *ἁ-
ποστόλων*.

LXXI.

Recentiores sunt *Husite* in Bohemia sic denominati à Johanne
Husso, Anno 1415. Constantiæ exusto.

LXXII.

Hi eò temeritatis progredi suo more consueti, ut infanti-
bus etiam sex septimanarum, diebus purgationis puerperarum *vix*
exactis, Cœnam porrigant,

LXXIII.

Cui mori præpostero non parum favisse *VVolfgangum Musica-*
lum Gentis sacramentariæ Assclam: apparet ex

L. C. f. 371.

LXXIV.

Ratio prætereà quæ consuetudini isti patrocinari videtur,
est, quòd, Sacramenta communia bona ac *κειμήλια* totius Eccle-
siæ, cujus infantes & pueri membra nobilioris notæ, & flos quasi
Ecclesiæ.

LXXV.

Accedit generalis CHRISTI asseveratio, qua Augustinus
ipse deceptus existimatur.

Joh. c. 6.

116

Nisi manducaveritis carnem filij hominis &c.

LXXVI

*Affirmativa
puriorum Ec-
clesiarum.*

Sed nostræ Ecclesiæ *Affirmativam* tum quo ad *θεωρίαν* tenent :
tum quo ad *πράξιν* exercent, non præbentes pueris Eucharistiam,
donec ad annos discretionis pervenerint.

LXXVII.

*Ratio Analy-
tica.*

Ratio adstat in procinctu, eaque planè *διδασκαλική*. Requiritur enim ab Apostolo, ut usuri sacra Cœna seipso probent. Quæ probatio, cum in puerulos, per ætatem, non cadat : rectè fit, quòd ab ea arcentur.

1. Cor. II. 28. 29.

LXXVIII.

Addunt alij, *περὶ Φυαδινῶς & ἐκ τῆς περιτομῆς, & alia, sed Topica* potiùs quàm Analytica.

LXXIX.

Præcipua sunt, quòd Baptismus Sacramentum *Initiationis* :
Cœna autem *Confirmationis*.

LXXX.

Et proinde Baptismus ad salutem summè necessarius *Job. c. 3.*
3. Cœna autem minùs, præsertim infantibus, quorum quippe fides minus est obnoxia tentationum fluctibus, atque Adulorum ; & proinde non æquè confirmationis indiga.

LXXXI.

Adhæc in Baptismo renascimur ! In Cœna autem pascimur.

LXXXII.

Nasci autem infantibus : competit : sed pasci non æquè.

LXXXIII.

In Baptismo præterea acquiritur vita spiritualis : in Cœna autem hæc acquisita conservatur ac nutritur, cibo spirituali.

LXXXIV.

Sicut itaque infantes lacte nutriuntur non solido cibo : ita quoque nondum sunt idonei ad perceptionem cibi spiritualis, vel Eucharistici, qui ipsis, pro ætate & captu, *cibus quasi solidus*, sicut loquitur Apostolus ad

Hebr. c. 5. 12. 13. 14.

85. Ubi

LXXXV.

Ubi etiam dicitur, quòd *cibus solidus non infantium sed perfectorum*: Baptismus verò imperfectorum, vel eorum, qui in *CHRISTO* rudes ad perfectionem ferri debent c. 6. 1. & 2.

LXXXVI.

Ceterùm, quòd Rationes attinet: in contrarium jam modo adductas: facile ad *utramq;* expediri potest responsio. Responsio ad Rationes.

LXXXVII.

Ad priorem per *limitationem*: Sunt enim & infantibus omnia Ecclesiæ bona vel *κειμήλια*, cum ceteris ejusdem membris, communia, sed *suo modo, loco & tempore*, monente Apostolo, in Epist. ad Corinth, capite & versu paulo ante allegatis.

LXXXVIII.

Ad posteriorem per *insiciationem*. In cap. enim VI. Iohannis non agitur de manducatione *Sacramentali*: sed *Spirituali*, qua vita spiritualis infantium conservatur; donec idonei evadant ad manducationem Sacramentalem, ad quam obligati sunt non *ἀπλῶς*: sed *πῶς*, id est sub certa conditione.

PROBLEMA IV.

An ad Cœnam etiam admittendi sint

Muti, ijq; qui rationis

impotes.

LXXXIX.

Est, & hoc Problema *bipartitum*: In priore parte quæritur de *De Mutis* *Mutis*: in posteriore verò de *ijs, qui impotes rationis*.

XC.

Mutos intelligimus eos, qui non tantùm loquelæ usu: sed auditu etiam privati; quæ *συμπλώματα*, propter causas naturales, plerunque *conjuncta*.

C

91. *Accidit*

XCI.

Accidit id vel *Naturâ* vel *Casu*.

XCII

Casu Muti & Surdi facti: ij fundamenta ex auditu Verbi fidei, vel jecerunt antea: vel nondum.

XCIII.

De illis nullus dubitandi locus: & potest cum illis scripturâ agi, si legendi rationem calluerint.

XCIV.

De his verò, sicut & illis, qui *naturâ* muti, in proclivi est dubitatio; siquidem auditus Verbinon capaces *Rom. c. 10. 18.*

XCV.

Tenendum autem, quòd & hi non arcendi ab usu Cœnæ *simpliciter*, sed eò admittendi, si, accuratiori præmissa exploratione, nutibus indicaverint suum utendi Cœna desiderium & amorem *ardentissimum*.

XCVI.

Si item gestibus & præsertim digito in hostias intento, manique & oculis in imaginem CHRISTI crucifixi devotè coniectis ac directis, fidem suam in CHRISTUM repræsentarint,

XCVII.

Et si enim *Ordinario* fidei medio, *ex accidente* sed, non absq; consilio DEI, (k) qui muti etiam ac surdi opifex, cendum: extraordinaria tamen ratione DEUS in ipsis etiam fidem accendere & conservare potest ac solet. (k) *Exod. 4. 11.*

XCIIIX.

Adhortandi tamen sunt, ut diligenter visitent templum, Officinam SPIRITUS SANCTI, & Domum precationis, in qua & ipsi, sua cum Ecclesiæ precibus conjugenda suspiria, quæ preces & circa fidem efficacissimæ,

XCIX.

II. De ijs, qui rationis impotes, quæstio itidem expediri potest, per distinctionem.

ses.

C.

cia.

Aut enim continuè durat: aut per intervalla cessat illa impotentia.

CI. Si

CI.

Si continuè duret: præberi nec debet nec potest talibus Eucharistia; eò quod in illos, perinde, ut infantes, propter impeditum rationis usum, non cadit probatio requisita ab Apostolo 1. Cor. 11. 28, 29.

CII.

Quando autem per intervalla cessaverit animi impotentia, & haud obscura probationis signa apparuerint: tum utique & talibus ultro petentibus Cœna non debet negari.

CIII.

Quod etiam à Ministris Ecclesiæ observari convenit, in morbis acutioribus, quæ delirium comitari solet.

CIV.

Videatur Lutherus Tomo I. Ien. Germ. in Serm. Von dem Neuen Testament Num. 39. fol. m. 339.

F I N I S.






AB: 195067

ULB Halle

3

003 019 209




56.





75
GEBHART WOLFFEN
HCALEVEYANTISSON



1d

DEO TRIUNO BENEDICENTE

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIBUS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO
COENAE,
DECADIS SECUNDÆ:
Problemata. I. II. III. IV.

*In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,
AUTORE AC PRÆSIDE
JOHANNÈ FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
DANIELE SPALCHHAVERO
Rostochiensis.*

Ad diem 14. Decemb. horis locaq. consuetis

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1611.